

singulis mutabuntur, sed cum prebenda competenti, que ipsis deputata fuerit, ad ipsas parrochias perpetui vicarii ordinentur. Reliqua vero pars rerum, que annis singulis hiis superfuerit parrochiis, illam domine in suos convertant usus et hanc sibi jugiter usurpabunt. — Item hospitale, quod civitati adjacet predictae, cum duobus mansis liberis et uno molendino^{b)}, quod absolute ejusdem est hospitalis, et cum rubetis circa idem hospitale jacentibus, cum agris excultis et incultis, et duo macella in foro et item de theoloneo in Kuningesbruc unum talentum sepe dicte domine sunt annis singulis jugi, lege et irtractabiliter habiture. — Hujus vero rei testes sunt frater Stephanus de ordine beati Francisci, frater Gunterus de eodem ordine et Fridericus sacerdos, item Richardus de Damis, Theodericus de Indagine, Grabisius, Conradus de Geilenowe, Walterus de Richenbach, Gunzelinus de Prautitz, milites honesti, item Conradus de Ponte, Hermannus de Indagine et item Hermannus de Radeburch, Godescaleus de Prato, Bertoldus Lupus cognomine, mercatores, et alii quam plures vere fidei cultores. Acta vero sunt hec in civitate nostra Kamenz anno gracie M^oCC^o quadragesimo octavo, III. idus octobris, indictione quinta.

15

5.

Bischof Albert von Meißen bestimmt, daß von den Einkünften der Pfarrei Kamenz der Pfarrer künftig sich mit 20 Maltern Korn, den Opfern, den Meßgeldern und seinem Pfarrhof begnügen, alles übrige aber dem von Bernhard von Kamenz gestifteten Cisterzienserinnen-Kloster Marienstern gehören solle.

Meißen, 1263 Oct. 18.

20 *Hdschr.: Or. Perg. Klosterarchiv Marienstern mit den sehr gut erhaltenen SS. des Bischofs und des Kapitels an grün und rother Seidenschmur.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Albertus dei gracia Misnensis episcopus, Sifridus prepositus, Gotschalcus decanus totumque Misnensis ecclesie capitulum universis Christi fidelibus presentem litteram inspecturis eternam salutem et veram in domino caritatem. Ne ea, que pia ordinantur devocione, aliqua valeant calumpnia in posterum annullari, modernorum consuetudo obtinuit utilis et honesta, ut ad eternam rei memoriam scripti testimonio perhennentur. Hinc est, quod universis tam presentibus quam futuris volumus notum esse, quod cum dominus Bernhardus de Kamenz, pia ductus intentione, cenobium sanctimonialium Cysterziensis ordinis Misnensis diocesis, dictum Stella sancte Marie, in honore gloriose dei genetricis et virginis Marie construxisset et ad earum inopiam sublevandam proprie non subpeterent facultates, adhibito tocius Misnensis capituli unanimi consensu, de redditibus parrochialis ecclesie in Kamenz, cujus jus patronatus ad memoratum cenobium pertinebit, eidem cenobio duximus succurrendum, ita videlicet, quod plebanus, qui pro tempore fuerit, oblacionibus, missalibus denariis, curia sua et xx maldariis siliginis in hiis villis: in Kamenz xxviii modii siliginis, in Prato xviii modii, in Heinrichisdorf xix modii et quartale, in Geilnowe xix modii quartale minus, in Lipgersdorf xxii modii, in Swabisdorf xvi modii, in Petirshain viii modii, in Rorebach x modii

4. b) molandino.